



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Vitaliani tyrannide. Cap. XLIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

Quemadmodum ea, quæ supra commemorauimus, ab Anastasio egregiè & vt imperatoris postulat maiestas, facta sunt, sic alia ab eò gesta, quæ istorum dignitatè non parum videntur obscurare. Nam & tributum, quod Chrysoteliæ, id est, aureum tributum vocant, excogitauit, & stipendia militaria vnà cum exactionibus non sine grauissimo reip. detrimento diuendit. Sustulit autem consuetam vectigalium exactionem è curijs, & eos, qui vindices appellantur, in singulis ciuitatibus constituit, impulsione, vt ferunt, Marini Syri, qui summum magistratum, quem præfectum aulæ nuncupant, administrauit. Vnde factum est, vt magna pars vectigalium perierit, & ciuitatum decus labefactum conciderit. Nam ante illud tempus patriciorum nomina in albo cuiusque ciuitatis inscribebantur: quippe vnaquæque ciuitas eos, qui in curias erant relati, pro senatu quodam habuit numerauitque.

De Vitaliani tyrannide. Cap. XLIII.

Contra Anastasium porrò Vitalianus, genere Thrax, tyrannidem occupare studuit. Hic Thracia & Media ad Odyssum & Auchialum vsque vastata Constanti nopolim cum multitudine ex gentibus, quæ incertis sedibus vagari, & habitare sub dio cõsueuerant, collecta proficisci maturat: cui obuiam iturum Hypatium misit imperator. At posteaquam Hypatius proditus à suis, viuis captus fuit, ingenti que pecuniæ summa redemptus, Cyrillus belli expeditionem capessit: ac primum prælio ancipiti pugnatur: deinde non pauci vertuntur in fugam: deinceps cum Cyrillus tum hostes persequendo, tum suos reducendo, superiores partes haberet, Vitalianus in Cyrillum conuersus, eum, militibus præ maleuolentia cedentibus, in Odyso capit. Postremo ad Sycas vsque excursus facit: omnia ferro & igni vastat: nihil aliud cogitatione complectens, quam Cõstantinopolim excidere, & potiri imperio. Castris igitur in Sycis locatis, Marinus Syrus, de quo antè mentionem fecimus, cum classe ab imperatore mittitur, contra eum depugnaturus. Itaque exercitus vterque propius inter se accedit, atque puppes nauium alterius Sycas, alterius Constantinopolim versus spectabant. Ac primum se ali-

EVAGR. HISTORIAE

quantisper à pugna continent: deinde fit navibus excursio, & tanquam prolusione quadam & umbratili pugna dimicatur. postea graui nauali praelio circiter Bytharia commisso, Vitalianus, puppibus nauium conuersis, & multis copijs amissis, animo attonito fractoque se fugæ mandat. Fugiunt quoque eius milites, quantum possunt: adeo ut postridie eius diei ne vnus quidem ex hostium numero vel in traiectu, vel circiter ipsam urbem reperiretur. Vitalianum autem in Anchialo aliquandiu commoratum acq̄uiescere ferunt. Porro aliud genus Barbarorum qui itidem sub dio habitare solebant, transmissio mari, in Pylas urbem Capadociae irruptionem facit. Eisdem temporibus Rhodus ingenti terremotu iam tertio intempesta nocte miserè concussa & propè labefactata fuit.

Quòd cum hymno trisagio particulam hanc, QUI PROPTER NOS CRUCIFIXUS EST Anastasius adiungere voluisset, turba ac seditio in populo excitabantur, quam rem extimescens cum summisionem simularet ilico plebis furor compressus est, & de Anastasii ex hac luce migratione. Caput XLIIII.

PER idem tempus Constantinopoli grauisissima seditio propterea à populo ciebatur, quòd imperator ad hymnum Trisagium, illud, QUI CRUCIFIXUS EST

Hymnus fuit sanctus Deus, sanctus pater, etc.

PROPTER NOS, addere voluit: perinde ac si ea particula adiecta religio Christiana tolleretur. Cuius seditionis ducè & principè fuisse Macedoniù & clerù ei subiectù Seuerus ad Soterichù scribès memorat: qui quòd Seuerus nodù ad sacerdotij gradù ascèderat, sed vitã in aula imperatoria degebat, neq; vnã cù alijs suo, vt ante à me dictù est, monasterio eiectus erat. Macedoniù verò nõ solum ob crimina illi falso intenteata, quæ supra posuimus, verum etiam ob ista iam ei obiecta expulsus arbitror. Et cum populus hac de causa effrenate ferretur, non solum nobiles in grauissima deuenere discrimina, verùm etiam multa præclara adificia incensa fuere: quinetiam monachum quendam hominem agrè-